

VIGET LATINITAS

A) De re haud parvi momenti agitur *

In ea, qua cottidie aliquid scribo, scriptoria mensa, librorum molem coacervaveram in quibus de lingua Latina renovanda profusa profluit oratio. Et qui ad dexteram stant scriptores linguam Latinam habent veram sinceramque hodierni cultus parentem, vocabulorum in nostris linguis amplissimum seminarium, adolescentium aptissimam magistram ac ducem, in Ecclesia Catholica perenne cottidiani sermonis et cum Deo commercium, tot denique saeculorum aetatibus apud viros eruditos facilem viam, qua homines de litteris, de disciplinis, de artibus, de innumeris variisque rebus doctissime disceptare possint.

Qui vero ad laevam iacent, contrariam tenent sententiam: linguam Latinam emortuam, nullibi terrarum in cottidiano sermonis usu vigere, difficillimam vel his qui diu multumque in ea discenda laborarunt; arte et figmentis quorundam litteratorum ac grammaticorum nunc excitatam ac velut in novam lucem prodeuntem recentibus indutam aetatis nostrae inventis eisque respondentibus vocibus.

* *Honramos las páginas de nuestra revista con la publicación de este trabajo del R. P. José M.^a Mir, C. M. F., director de la acreditada «Palaestra Latina» y que en el Certamen Capitolino de este año mereció Mención Honorífica entre los escritores que concurren a este certamen de prosa latina. El Secretario de la Comisión Dictaminadora, después de mandarle el DIPLOMA DE HONOR, con que el Ministro de Educación Nacional italiano y el Alcalde de Roma honran a los vencedores de este certamen internacional, le decía en una de sus cartas gratulatorias: «Est profecto unde putemus, vir doctissime, neminem unquam materiam istam, qua libellum c. t. VIGET LATINITAS confecisti, fusius nec non magis scite et eleganter ac Tu fecisti, volutavisse atque pertractavisse. Quare gratulationes nostras laudis accipias, qua in certamine nostro nuper peracto es ornatus».*

Et mens profecto erat calamos acuere ut, si possem, lumina quaestioni tantae molis quaedam infunderem et scriptorum sententias in medium adducerem; nam argumenta coacervata suo pondere tunc aestimari possunt, cum quis suismet verbis, quae sentit, enucleate ostendit.

Haec toto animo cogitanti ecce adest alumnus qui in aula sic alloquitur: «te, colende magister, alumni oramus ut tot nova hodierni usus inventa in Linguam Latinam aptis verbis convertas, quibus familiariter inter nos sermonem instituere possimus. Audivimus enim et rei publicae Statuum Foederatorum Moderatorem lingua Latina cum amicis familiares sermones conferre et alibi doctos esse viros quibus voluptati sit et gaudio Latinam linguam consuetudine adhibere. Quibus et nos consociare cupimus».

Quae cum discipuli audissem verba, finita schola, ad scriptoriam me contuli mensam, ubi cum tot oculis perlustrassem libros, quadam animi misericordia motus, scriptores sic sum allocutus: «Ergo vos... qui tantam disputationum turbam excitatis ut quasi solem lumine splendentem obscurare volueritis?... Quid, nos homunculi tantae tenebrarum caligini, luminis instillare poterimus? Vobiscum contendere nefas... Tantum illa prospere procedet lingua ac late florebit apud omnes gentes, quae hodie aliquo terrarum loco usu viva sit. Sic vos rei finem facitis, neque vero amplius contendendum... Sic tamen mente intellegite, quanquam nullibi terrarum, in nulla hujus aetatis natione homines lingua Latina colloquuntur, sunt tamen plurimi viri docti et studiosi qui linguam Latinam colunt, plurimi qui tot saeculorum tractu usque ad nostram aetatem et libros conscripserunt et documenta publica ac privata Romanorum lingua prodiderunt, plurimi qui cottidie hac sacra lingua Deum precantur, plurimi qui inter se, cum alia non suppetit lingua, cogitata communicant, plurimi qui novas res novis vocibus nominant easque scite adhibent, plurimi qui cum Romano Pontifice aut colloquuntur aut ab eo jussa et mandata lingua Latina scripta excipiunt... Quod si apud omnes fere gentes alius est eruditorum sermo purus ac sincerus, alius vulgi qui variis dialectis defluit ac vulgarium hominum ore conteritur, sic in magna orbis terrarum re publica una constitui potest lingua, qua omnes inter se colloqui et intellegi possint sapientes ac litterati viri, cum tamen vulgus et nationes proprias habeant linguas quibus in cottidiano commercio utantur... Non igitur no-

vis opus est argumentis ut vigentem ac florentem Latinitatem com-
monstremus... Prodeant societates, prodeant commentarii, prodeant
libri, prodeant in renovandis litteris scriptores omnes: Muretus,
Erasmus, Brocensis, Lud. Vives, Pontanus, Bembus, Pascolius...,
prodeant et nostrae aetatis viri Latinitatis cultores, *Latinitatem lin-
guam vivam omnes conclamantes...*

Sed si argumentis non indigemus, normae sane ac leges pro-
ponantur oportet quibus oratio Latina sibi semper constet ac vera
Romanorum lingua per saeculorum aetates perpetuo vigeat.

Rem magni quidem laboris suscipimus declarandam et quibus-
dam regulis definiendam cum in contrarias scriptores scindantur
sententias, quos difficile in unum convenire erit nisi una statuatur
societas quae, perpensis omnibus argumentis, probabiliora prodat
verba quae ab omnibus usurpari possint.

Iamque rem aggrediamur, et —eruditorum virorum venia qui
Latinitatem pertractant et excolunt— leges proponamus.

B) Leges ad linguam Latinam nostra aetate adhibendam

1. *In primis omnem contentionem adhibeamus in servanda vera
linguae Latinae «natura» et «colore»¹. Sit igitur sermo integer,
incorruptus, purus.*

Natura et quasi *intima* linguae Latinae *indoles*, quae in tota
grammatica vigent —in nominibus declinandis, in verbis flectendis,

¹ Linguae Latinae natura et color *Latinitatem* constituere videntur, nam
«Latius quidem Latinae linguae quam *Latinitatis* nomen; neque enim quicquid
illius continet forma et amplitudo, vel etiam copia, vulgo appellatur Latinitas,
verum illius tantum *castitas atque integritas* sive exquisitus loquendi modus,
qui sermonem Romanum purum et ab omni barbarie ac peregrinitatis vitio re-
motum conservat.

«*Latinitas* est recta dicendi ratio, ad veterum Romanorum regulam accurate
instituta, quae totum sermonis habitum praestat emendatum, purum atque per-
spicuum; ut nec a vulgari ratione, nec ab sensus communis consuetudine abhor-
reat; sed rebus maxime accommodata, dicentis mentem recte exprimere, ac so-
lum auditoribus, vel attentis lectoribus satis facere videatur...» (ALMA ROMA, a.
1929, fasc. II, p. 21).

in particulis subtiliter adhibendis, in syntaxi presse retinenda, in locutionibus quae Latinae linguae sunt maxime propriis—, ab omnibus sancte servantur ².

Color vero, qui est velut totius orationis habitus, sedulo quoque est retinendus ut sermo noster a Romanorum lingua non sit alienus, sed ubique Latinitatem sapiat eamque subtiliter exprimat. Sit semper in nobis, ut de Catulo ait Cicero ³, «incorrupta quaedam Latini sermonis integritas» et «sermo Latinus». Nobisque consentit clmus. vir Dr. G. Lurz: «Tale dicendi Latine genus est eligendum quale minime abhorret ab Latinitate quae dici solet classica (i. e. in primis aureae et argenteae aetatis Latinitas) idemque est dilucidum, praecisum non obscurum, non moleste longum. Petenda est dictio quantum fieri potest classica eademque practica, i. e. non discrepans a vitae usu et utilitate» ⁴. Praeterea: «Nulla significationis amplificatio, nulla vocum transformatio, nulla novarum vocum usurpatio, omnino nulla mutatio est licita, *nisi quae congruat rationi et naturae sermonis nec pugnet* ⁵, ut ita dicam, cum genio Latino» ⁶.

Quod ut adipiscamur consulendi sunt et in manibus habendi clarissimi illi viri qui dignitatem et elegantiam Latini sermonis omni studio assequi sunt conati, quique sinceri sermonis formas investigarunt atque corruptas juste improbarunt ⁷. Quibus nostrae aetatis

² Cfr. GEORGIUS LURZ, *Societas Latina* (1936) 4, 4, p. 52.

³ CIC., *de orat.* 3, 35, 32-133.

⁴ LURZ, *Societas latina, ibid.*

⁵ Audi etiam NOLTENIUM, locupletissimum de Latinitate pura scriptorem: «Nonne omnium reprehensione digna esset scriptio Germanica, quae multis vocabulis obsoletis, vel rarioribus, vel de trivio desumptis (*sic*) scateret; aut locutiones adfectatas, turgidas, et a communi loquendi usu vehementer alienas prae se ferret? nec, qua voluptate animum cujusquam Germani sermo demulcere possit, intelligo, qui multis constructionibus peregrinae cujusdam linguae indolem deformatus redolentibus sit. Refugerent credo, eiusmodi orationis genus horridum et barbarum vel ii etiam ex civibus nostris, qui licet litterarum studiis haud imbuti sint, aurium tamen iudicio, et incorrupta intelligendi facultate nondum destituti videntur» (NOLTENIUS, *Oratio de hodierno ling. Lat. cultu negligentiori*, quae habetur in opere qui inscribitur *Lexicon Latinae linguae antibarbarum*, Venetiis 1743, p. 12).

⁶ LURZ. *Ibid.*

⁷ Cfr. HEINECCIUS, *Fundamenta stili cultioris*, Venetiis 1781; J. Fridericus NOLTENIUS, *Lexicon Latinae linguae antibarbarum*, Venetiis 1743 (ubi scripto-

egregii Latinitatis cultores et magistri addendi (Cima, Gandino, Cupaiuolo, Bacci, Springhetti, cet...), qui integritatem puri sermonis Latini exquisite —sunt qui nimium exquisite dicant— explicare et in scribendo servare conati sunt.

Hi scriptores prae oculis semper habendi; sed aliquando potens ac valida aderit ratio qua, ab illa, qua reguntur, nimia in dicendo religione, recta animi libertate exsolvamur.

II. *Hanc vero linguae Latinae naturam et nitorem si consequi volumus, in legendis et imitandis optimis auctoribus* «quibus formanda mens et ducendus color» Latinus ⁸, *magnum studium multamque operam collocemus oportet* ⁹.

De lectione et imitatione veterum scriptorum illud prudenter sua aetate clmus. vir Jo. Gott. Heineccius monuerat: «Neque sola scriptione Latinae eloquentiae facultatem assequimur. Quid enim juvabit scribere, nisi antea ipsam linguae *indolem ac genium animo conceperis?* Id vero qua alia ratione consequi possit, quam *lectis diligenter auctoribus*, ego quidem vix intelligo ¹⁰.

Qui vero legendi sunt scriptores? —«*Omnes legendos auctores, et ex iis optima quaevis in usum nostrum esse seponenda, ipsi... docuimus. Neque tamen ideo omnes promiscue sunt imitandi. Unus,*

rum opera de Latinitate restituenda recensentur, p. XIV-XIX, eorumque sententiae in Lexico proferuntur); KREBS - SCHMALZ, *Antibarbarus der lateinischen Sprache*, Basel 1905; BONINO, *Piccolo antibarbarus*, Torino 1947.

⁸ QUINT., 10, 1, 59.

⁹ Omni ope atque studio laboremus ut libri, qui ad erudiendos in lingua et pura oratione Latina alumnos constituuntur, praecipuo illo colore et sincera integritate effulgeant. Sedulo igitur orationem nostram corrigamus neque eam mendis naevisque maculemus. Ubinam natura, color, integritas dictionis Latinae, quae adeo se circumspicit, in quibusdam libris splendent, qui sane non Latinitatem sapiunt sed vernaculas linguas, ubi leges: «Novorum nostrorum efformationi»; «efformentur»; «quae me favet»; «novos et non despiciendos conatus obtinuit»; «Latinae litteraturae pulchritudines»; «sinant ab ipsis consequi, devinci»; «est annum ut ille miserat librum»; «venditur»; «officina bancaria», similia?..

¹⁰ HEINECCUS, *Fundam. stili cultioris*, Venetiis 1781, p. 266.

isque *optimus*, eligendus, cujus ad exemplum totius orationis habitum componamus ¹¹.

Non tamen promiscue imitandi, quanquam optima ex omnibus seligenda. «Fieri non potest quin inaequali ac sibi parum simili adsuescant dictioni, qui per omnes vagantur auctores, et modo hunc, modo illum imitantur. Vix oculos prudentum ferret aedificium, in quod architectus ex mille diversissimae structurae palatiis coniecisset, quidquid pulcrum ei visum esset...» ¹².

In eadem sententia est Muretus, vir Latinitatis peritissimus —ampliciore tamen iudicio in legendis scriptoribus—: «Immo vero, adhibebo iudicium, habebo delectum, et cum iis potissimum qui antiquitatis quoque principes visi sunt, Cicerone, Caesare, Terentio, aliis quam plurima sumpsero: cum orationis meae genus *ad eorum exemplar quam maxime potuero, conformaro, ex aliis quoque bellissimum quodque carpam, et quo quisque maxime excelluisse videbitur, id imitari atque exprimere conabor*: neque in iis modo quos paulo antea nominavi, sed in Tertulliano, Arnobio, Hieronymo, Augustino, Ambrosio, et quod magis mireris, Apulejo, Cassiodoro, Martiano et Sidonio Apollinari, multa reperiam, quibus suo loco positis oratio uberior et ornatior fiat» ¹³.

Animum advertas oportet quo modo primum iudicium adhibeat, deinde verborum delectum e principibus antiquitatis sumat, ac *postquam suam orationem ad eorum exemplar quam maxime conformavit*, —quasi nervum sucumque ex illis hauriens—, tum

¹¹ ID., *ibid.*, p. 308.

¹² Cfr. *Ibid.* p. 308; cui consentit Quintilianus: «Dum assequimur illam firmam, ut dixi, facilitatem, *optimis* assuescendum est et *multa* magis quam multorum lectione formanda mens et ducendus color» (QUINTIL. 10, 1, 59); et Noltenius (*Ibid.* p. 4): «Linguae huius auctores non sunt promiscue scholasticae iuventuti obtrudendi sed tersissimi, et castissimae dictionis commendandi, unde emendate, et ad genuinam eius indolem animi sui sensa discat exprimere». Cfr. etiam BACCI (*Varia Latinitatis scripta*, II p. VIII): «Non desunt si quidem qui Latinitatem universam priscam nempe seriore, cadentem et infimam, ita in suis scriptis implicant, ut aliquid ex eorum calamo oriatur non venustum, non consonum, sed etiam absonum atque abnorme ut religiosas aures offendat».

¹³ MURETUS, *Variarum lectionum lib.* XV, 1, p. 219.

demum ex aliis etiam bellissimum quodque in verbis ac locutionibus praesertim, quae in aliis desint scriptoribus, quadam animi libertate excerpant.

Noltenii quoque verba attente perpende, qui rursus puri sermonis integritatem et optimos scriptores enixe commendat legendos: «At vero quare barbarum et inquinatum dicendi genus nobis satisfacit, quum haud multo major requiratur industria, ut emendate discamus et caste scribere? Quare rudere cum Apuleii asino; quare cuiusvis inepti scriptoris sermonem imitari malumus, quam suavi et sonora voce uti cum Tullio? Cur distortam dicendi rationem, cur hiulcum et inconcinnum et asperum vocabulorum concursum admittimus? Veterum autem orationem, quae tersa, quae elegans, quae distincta est, quae naturali sua pulchritudine exsurgit, et cum lenitate quadam aequabiliter profluit, inconsiderate spernimus¹⁴?

III. *Quae sincera Latinitas nequaquam obscuratur si prudentiam et moderationem adhibeamus in novis admiscendis orationi vocabulis, quae tamen originem ab ipsa lingua Latina sumant — et aliquando a Graeca—¹⁵ aut in cultissimis omnium gentium linguis vulgo usurpentur.*

Primum *cauto semper opus est*, nam, ut monet Horatius «dabi-

¹⁴ NOLTENIUS, *Lexicon*, p. 11.

¹⁵ Licentiam vero ab Horatio datam *pudenter* sumamus: «ne ut quidam, Graeca verba inculcantes, iure optimo rideamur» (CIC. *De Off.* 1, 31). Quam sibi tribuit saepe Ludovicus Vives licentiam in illis, quae ad exercendam linguam Latinam conscripsit, colloquiis. Ut tamen clmus. vir Bacci animadvertit (*Epistulae*, I, p. 141-142; *Varia Latinitatis scripta*, 1 ed.) plura, quae vulgo Graeco proferuntur vocabulo, habent proprium nativumque in Latina lingua nomen quod rectius est in sermone usurpandum.

Neque vero omnino probanda est sententia Dris. Padberg-Drenkpol (Cfr. SOCIETAS LATINA, 1939, III, p. 45) — ut ibidem monet cl. vir Georgius Lurz qui in inducendis novis vocabulis nimium — ut videtur — veteribus recentibusque Graecis tribuerat. Idem vero Dr. G. Lurz moderate probatisque argumentis «de mensuris ponderibusque» disceptavit et non nulla verba Graeca suo loco apte proposuit (Cfr. PER LO STUDIO E L'USO DEL LATINO, 1942, p. 83).

tur nobis licentia —sed sumpta *pudenter*— ut abdita rerum *recentibus* monstremus indiciis seu vocibus»¹⁶.

Ne simus igitur faciles in novis vocabulis cudendis sed cauti et circumspecti. Ac primum omni studio veteres et recentiores scriptores¹⁷ consulamus; quod si *in illis aptam non reperiamus vocem, tum demum* ex ipsa lingua Latina —tamquam ex proprio fonte— novam proferamus. Nam ut Quintiliano placet: «Sint quam minime peregrina et exera (verba)... Quare, si fieri potest et verba omnia et vox huius alumnum urbis oleant, ut oratio Romana plane videatur, non civitate donata»¹⁸.

Quanta vero fuerit prudentia in praeclarissimis viris Erasmo, Mureto, Ludovico Vive aliisque olim scriptoribus videmus, nostraque aetate Fornario, Jacobellio, Tassetio, Joveo, Avenario, Holzerio. Lurzio, qui in ALMA ROMA, in SOCIETATE LATINA, in PALAESTRA LATINA de novis effingendis vocabulis multa diserte disceptarunt.¹⁹ Sed prius quam harum disputationum exempla legentibus proponamus, quae fuerit illorum mens —de ea quam sibi vindicant ad novandas voces *facultatem*—attente inspiciamus. Ac primum Ludovicum VIVEM audiamus: «Nunc, quum populum Graeci aut Latini sermonis habemus nullum, sed ab auctoribus sumendum est jus verborum, sunt qui quoties aliquid non recordantur se legisse, damnant ilico, et tamquam lege Mucia Licinia ex civitate eiiciunt»...

«Plus tertia parte bonorum vocabulorum ex aerario linguae Latinae reiecimus, tamquam adulterinos nummos, et in tanta egestate

¹⁶ HOR., *Ars Poet.*, 49.

¹⁷ Verborum facilitatem quae est apud veteres, perpendamus. Tullium investigemus et in primis Plautum qui tot novis a se confictis vocibus ioculariter gaudet. Ex poëtis, ex veteribus inscriptionibus multa educi possunt verba ad res nostras aptissima, ut: *domiseda* («casalinga, casera»), *specles victui atque usui necessariae* («generi di prima necessità, artículos de primera necesidad»), *optio officinatorum* («capooperaio, contramaestre»), *contrascriptor* («verificatore, registrador»), *exercitator* («instruttore, instructor militar»), *dardanarius*, *captator* («accaparratore, incettatore, acaparador, estraperlista»), cet. (de quibus Cfr. CIPROTTI, *Ut latine scribamus et loquamur quae sit veterum scriptorum utilitas*, PER LO STUDIO E L'USO DEL LATINO, 1942, 69-75).

¹⁸ QUINT., *I. O.* 8, 1, 3.

¹⁹ Cfr. quoque quae in *Palaestra Latina*, quotienscumque dabatur locus, pertractavimus, ac praesertim quae in fasciculo «*Nova et Vetera*» (Barcinone 1949) collegimus.

fastidiosi, pauperiores in dies fimus, dum unusquisque, quo diligentior videatur aerarii praefectus, aliquid repudiat, nemo infert, ideo sermonis inopia quotidie laboramus»²⁰.

«Sunt qui contaminari se verentur, si quid aliter Latine dicant quam Cicero, ridicula religione, ne dicam superstitione stulta, primum quomodo loquentur de iis, quae apud Ciceronem nulla sunt, de *structura*, de *sutrina*, de *textrina*, de *agro colendo*, nisi forte omnia sint mutuaturi ex paucis illius verbis in Catone majore, et aliquot ad fratrem, et ad Atticum epistolis? necesse erit eos obmutescere in reliquis, ne quid dicant parum Ciceroniane, videlicet satius erit tacere quam male loqui: quid in poëmate, quid in historia facient, quae ille non scripsit? quid, quod quaedam dicit, quae eadem nec minus acute, nec minus festive, nec minus, vel ad declarandum, vel ad persuadendum, apte, ab aliis dicuntur; immo sunt apud eum nonnulla, quae si astrictius, et pressius cogherentur, haberent plus nervorum, et efficaciae»²¹.

Quae pari ratione a Mureto, in libro XVI *Variarum lectionum* proferuntur.

Illa quoque P. Avenarii verba attento ponderentur oportet animo, ex quibus fere, quam proponimus, sumpta est regula.

«Majorem curam adhibendam esse in comparando vero sermonis Latini colore, quam *in evitandis vocum novitatibus*, ubi apotheca vocabularia antiquorum nobis, hodiernis hominibus hodiernoque cultu instructis nihil idoneum subministrant. Quo in genere, ipsos antiquos sumamus duces, qui, sicut sexcenties manifestum exemplis est, quae peregrina primum cognoverant, peregrinis vocabulis sed ad suam linguam conformatis appellare non dubitabant. Illis igitur si quis dixisset: «Hem! quae ista tua Latinitas est? quod hoc novum monstrum est nominis?» idem responsuros fuisse censeo, quod respondemus nos peregrina nostra et nova vertentibus vitio: «At nos in illa terra, ubi res nostris Latine loquentium hominum oculis primum subiecta est, etiam hoc nomen deprehendimus, et hoc utimur, quoad effectum aliud erit ex latiniore fusum fonte».

«Nemo unquam mihi persuadebit antiquos Italiae et earum

²⁰ VIVES, *De causis corruptarum artium*, «Opera omnia», Valentiae 1785, t. VI, l. 2, c. 1. p. 79-80.

²¹ VIVES, *ibid.*

terrarum, ad quas Latina lingua propagata est, non usuros fuisse *illis vocabulis quae omnium cultiorum gentium hominibus essent in ore*, non libentissime amplexuros fuisse plurima novarum rerum recte novata nomina. Ideoque censeo illud tempus, quo nos decoquimus de Latinitate vocum scrupulos, multo consumi utilius in legendis bonae Latinitatis libris, Ciceronianae potissimum et Terentianae, ut crescat linguae nostrae Latinae thesaurus, varietas, clangor».

«Sed diligenter tu cave, ne me credas tam *facilem in admit-tendis recentibus esse, tam facilem in cudendis novis vocabulis*. Qui contra omnes volo circumspectissimos. Nam me, si quid jusseris dicere Latine, quod Latine dicere nesciam, ante omnia, sicut apis argumentosa, circumvolo lexica omnia, video nationum Latinarum, quae ad manum habeo vocabularia, non ut illarum nomina, non ut praecoci praecipitataque nimis ea ditem civitate Latina, sed si forte *quem mihi ostendant in provinciam Latinam pontem*, tento illa quae ad rem in mentem veniunt omnia, quae forte jam audiverim vel legerim revolvere studeo; postremo, *si nihil antiquum, nihil hodiernum, nihil intestinum aut exterum videro*, ipse demum ex tenui penu *promere audeo* quod illius rei anonymae adhuc imaginem quam maxime propriam mentis videatur mihi humanae sistere oculis. Ne illi male atque crudeliter tractent reginam linguarum si qui ignari linguae et legum derivandi vocabula *quaelibet vulgaria verba pro Latinis sumant, vel non Latine structa proferre audeant* ²².

Et fortasse apertius vividiusque alio loco ²³:

«Affirmabam rebus novis nova indi licere vocabula et tam multis internationalibus vocabulis aditum patere etiam ad linguam Latinam debere, *quoties in Latinitatis thesauro non invenirentur ejusdem significationis et sententiae voces*. Hoc ius qui negent, *strangulare mihi videntur et interimere penitus linguam Latinam*. Sed heus, o noster, ne institueris ut credas illi Avenulam favere linguae Latinae quae admissis quibusdam vocabulis etiam colorem Latinum mutet.. Nam me auctore *totam sermonis structura informanda est ad exempla veterum et optimorum scriptorum, eorumque vocabulis etiam, ubi suppeditant dandus principatus*. Sed ubi nos coeperimus de rebus

²² A. AVENULA (=Avenarius), *Palaestra Latina*, n. 121, p. 164-165.

²³ Cfr. *Palaestra Latina*, n. 113, p. 480.

loqui illis scriptoribus ignotis, *nostris loquamur vocabulis jam frequentatis aut inventis* a scriptoribus aetatum omnium aut etiam a nobis ipsis excogitatis eoque hīs liberius quo scitius significantiusque sunt fusa. Desinamus aliquando idcirco suspecta habere vocabula aut explodere, quod neque apud Ciceronem aut Caesarem reperiantur, ideoque non sint classica ²⁴.

Haec, etsi non nihil redundantia, verba in medium proferre volui ut eorum plane pateret sententia; sunt enim qui nimiam connectantes puritatem illudque a Caesare dictum haud probe interpretantes et continuo obicientes «tamquam scopulum, sic fugias inauditum atque insolens verbum», intimam linguae Latinae vitam praecidere videntur cum circuitione longoque verborum ambitu—veterum scriptorum referentes inculcantesque verba— recentia hominum inventa producere volunt; hi nimirum, ut ait clmus. P. Avenarius, «linguarum reginam *quasi strangulare* videntur».

Neque vero hanc fluxam mollemque insecuti sunt viam quos paulo antea nominavi auctores, nam apud Ludovicum Vivem, clarissimum linguae Latinae scriptorem, vocabula *pruniceps*, *crumini-secium*, *feminicruralia*, *interula* (novato sensu), *fustadica*, *fustanica*, *capripilia*, *butyraceus*, *globulus*, *ocellus* («occhiello, ojal»), *prunum ceruleum*, *scalae coclides*, *batallarius*, *codex exceptorius*, *concoctio evaporatoria*, *puer exceptor*, *regestum*—in «*Exercitatione linguae Latinae*» scripta leges—, et apud Erasmus non minore laude dignum, *cancellarius*, *officiarius*, *sacrificus* (=sacerdos), *campana*, *sphaerula bombardica*, *bacalareus*, *multaque* alia quae haud facile in veteribus probatisque scriptoribus invenies, aut quae novo ditantur sensu.

At nisi fallimur, sic fit, sic perstat viva et vivax et florens lingua Latina; ita sane ditantur, accrescunt, locupletantur perpetuo vernaculae linguae novis vocibus novatisque significationibus ²⁵.

Eandem vero rationem ac viam, summa prudentia ac modera-

²⁴ MURETUS, *Variarum lectionum lib. XV*; CIPROTTI, *Per lo studio e l'uso del Latino*, 1942, p. 60.

²⁵ «In omni autem lingua viva labentibus saeculis et crescente cultu humano accessiones quaedam mutationesque apparent. Nonnullarum vocum sententia tum mutatur tum amplificatur et prodeunt novae voces aut recens fictae aut ex aliis linguis acceptae» (G. LURZ, *Quale sit eligendum dicendi Latine genus*, Cfr. SOCIETAS LATINA, 1936, 4, 4, p. 50).

tione adhibita, sedulo tenuerunt viri illi optime de Latinitate meriti qui ut optimas expromerent voces eruditis scitisque epistulis mutuo per ALMAM ROMAM, per SOCIETATEM LATINAM, per PALAESTRAM LATINAM datis, quandam quasi concertationem de vocabulis Latinis producendis novandisque instituerunt.

Sic ut exemplum proferam, *incendiales* («pompieri, bomberos») dixerat Avenarius, qui «exstinguent exorta incendia»²⁶; at ut placet Iacobellio, «nonne sunt incendiis exstinguendis excubiae, vigiles, praepositi?»²⁷. De iis clarissimus Vallaurius habet: exstinguendis incendiis praefecti». Ioveus vero: «*exstinctores*» «bomberos» dicam, sicut *aratores* appello eos qui ex officio arare consuerunt. Favet mihi et Cicero: «At tu eo ipso tempore apud socrum tuam... sedebas non exstinctor, sed auctor incendii»²⁸. Baccius vero in Lexico (*varia Latinitatis scripta*) s. v. *guardia* vocem *siphonarius* proponit, quae quidem est omnium optima; possunt etiam adhiberi *spar-teolus*²⁹, et ex modo allatis Tullii verbis *incendii exstinctor*; cetera quae a Baccio afferuntur sunt verborum ambitus neque tamen neglegenda.

Neque opus est plurima quae ibi —in illis commentariis— disputantur vocabula in medium proferre, in quibus sunt «*postcinium* («ritornello, estribillo, refrain») ³⁰, *fulminivorum* —Ioveus— («parafulmine, pararrayos, paratonnerre») quod deinde ab Avenario in vocem *fulminar* est commutatum ³¹, de qua voce Ioveus ³²: «Plane confiteor quaesitam te propius rem attigisse tuo illo *fulminari*, quam *fulminivoro* meo, nec sine magno acumine. Quid aliud namque expriment plerumque voces in *ar (e)*, *al (e)* finitae, quam res, quarum intrinseca ratio, ut philosophi loquuntur, est esse ad aliud? Unde sicut *collare* vocamus rem quae ad collum, *tibiale* quae ad tibiam, *puteal* quae ad puteum, *calcar* quae est ad calcem, quidni dicemus id *fulminar* quod natura sua ad fulmina ordinatur?»

²⁶ Cfr. *Alma Roma*, 1925, VI, p. 100.

²⁷ Cfr. *Ibid.* XII, p. 152.

²⁸ CIC., *In Pis*, 11, 26.

²⁹ FORCELLINI, s. v.; MIR, *Nova et Vetera*, Barcinone 1949, p. 58-59.

³⁰ *Alma Roma*, 1924, 4, p. 63; *Ibidem*, 1924, 10, p. 172.

³¹ *Ibid.* 1925, 4, p. 67.

³² *Ibid.* 1925, 4, p. 67.

In illis de novanda Latinitate epistulis voces invenies *radiata symphonia*, *transmissorium*, *receptorium*, *radiaculum* («paralume, pantalla, abat-jour») *pirula* («lampadina, bombilla, ampoule») *dentarius*, *dentifex*, *dentificina*, *arx dentificina* (Joveus), *dentium curator*, *refector*, *instaurator*, *odontarius*, *medicus*, *dentarius*, *cet.* (Jacobellius); *funorbile* («Rundlauf»), *schedinummia* («biglietto, papel de banco, billete») *exspectationes* («sala de espera»), *charta exscriptoria* («papel de calcar»).

Quae vocabulorum disputationes aliquot protractae sunt annos in ALMA ROMA; quibus iterum discussis verbis; plurimum thesaurus Latinus accrescere poterit.

Simili ratione hanc de vocabulorum quaestionem moderatores et scriptores SOCIETATIS LATINAE, IUVENTIUS (Hungaricae) AUXILII LATINI pertractarunt; qui tamen non numquam verba quae minus ad Latinitatem accederent ejusdemque colorem prae se ferrent, fortasse producere visi sunt. Plurima tamen ex iis sunt verba quae in Latini sermonis horreum immittantur, sedulo recondantur suoque loco usurpentur.

Neque in his —de novis inducendis vocibus— disputationibus posthabenda est PALAESTRA LATINA quae cum CANDIDATO LATINO iam quinque et viginti annos strenue in ea re allaboravit. In PALAESTRAM processerunt Ioveus, primus et moderator et conditor, Gonzalezius, Avenarius, Holzerius, qui omnes vel mutuo datis redditisque epistulis vel his scriptis quae sub rubrica NOVA ET VETERA prodierunt ac prodeunt, multa proposuerunt rebus novis nova nomina Latina.

Neque opus est in re immorari; tamen ut pateat omnibus quae senserit P. Avenarius —qui tandem sua aetate *Avenulam* se ipse facit—, cuiusque in pertractanda novandaque Romanorum lingua dexteritatem peritiamque omnes qui ALMAM ROMAM legerint, optime norunt, illa quae audaciora videntur ab ipso prolata, suismet verbis referam:

«Mihi probabuntur omnia quae illis orta sint principiis, quae supra ipse edixi. Neque habeo cur causer, si quis eiusdem rei alterum et tertium idoneum ad intellegendum nomen usurpaverit, internationale legitime productum, cum illud tribunal, nullum-dum videam, quod mihi mea sensa meo more loquenti silentium imponat, praesertim si is quicum loquor facile arri-

piat, quae cogitem ego. Tam autem luculenter, tam pluribus verbis iterare, neque id sit necessarium. Ego, quoad duco vitalem, qui huic terrae circumfunditur spiritum, a meipso et ab iis, qui se Latinitatis amantes velint, sermonem postulo fili Latini non ejus filii, quod adeo barbarie crispatum iam et dissolutum erat, ut homines fortunatiores Musarum filii, saeculo quinto decimo linguam Latinam ab interitu vindicandam statuerint. Illum, inquam sermonem Latinum discendum eoque utendum puto, qui ditescens semper et accrescens lectione et imitatione scriptorum omnium quam proxime colorem duxerit Ciceroniae elegantiae et puritatis. Idem ego dico, et ad finem usque vitae dicam, hanc linguae puritatem Latinae nequaquam obnubilari, si cum prudentia et moderatione vocabula admisceas vel legitime et saepe exemplo linguarum ex Latina evolutarum derivata vel ex linguis omnium cultarum gentium in idem nomen conspirantibus petitur. Quod qui nobis concedere nolunt, qui *suis malunt res offuscare circumscriptionibus* parricidarum loco hos ego habeo, quia *linguae Latinae vitalem motum, reliquis linguis concessum, tollunt*, vel si minus libenter facinorosam parricidii vocem audis, similes illi castigatores videntur esse filiis, qui inclusa avia, quod decrepita esset aetate, domi, inter homines versentur, novarum cognitiones rerum et nova earundem rerum vocabula undique colligant, aviam tamen haec omnia consulto celent, ne alia, quam decrepita mulier sit, novus cultus humani quam maxime expers. Sicut contra verorum filiorum voluptas erit aviae suae cum cognitionibus novis nova nomina tradere rerum commoditates vitae spectantia, sic hominibus linguae antiquae studiosis cordi erit illam linguam ditare et evolvere. Sicut illa insaniat avia, si novas rerum novarum cognoscendarum voces respuat, et suis trecentis vocabulis a maioribus acceptis novas notiones circumscribat, sic insaniamus nos, *si recte ficta aut internationalia vocabula, ubi antiqua vocum inopia laboremus, docte repudiemus.* ³³

«Nam — ut alibi idem P. Avenarius luculenter exempla promens ³⁴— quid deperire de puritate sermonis Latini arbitrabimur, cum per nostros hortos incedentes, cum ad fixum in arbore thermometrum metereologicum propinquamus, adolescentem comitem meum iussero: vide, quae hodiernae *temperaturae* sit ratio in *scala Reomurica!* vel si postea illi ostendam loca, ubi abhinc annis quattuor, *bombis (bomba-ae)* vel *bombationibus* profundissimi putei sunt excavati, et rem pejorem fu-

³³ AVENARIUS, *Palaestra Latina*, n. 124, p. 203.

³⁴ IDEM, *Ibid.*, n. 113, p. 401.

turam fuisse exitiosamque, si iactata esset *atomica bomba*, cum iam sic tota statio Ostiensis *debombata* sit. Timendumne ne intellegamur in sermone Latino dividentes corpora in *rigentia et elastica* corpora et ipsa *elasticitate* fieri, ut *metallicae spirae* compressae *resilient* in priorem formam? Puto ego ipsum Ciceronem gratias nobis acturum esse, si a nobis acceperit circumfusum huic terrae aëra *atmosphæram* appellari, et hanc esse *gaseam permixtionem*; magna illa vasa et rotunda tectis urbis modo altius modo humiliter exstantia *gasaria* esse et educto carbone *fossili gasi* turgescere, defluente per tubos ad *gaseos furnos* et in *reticula lampadaria gasi* subsidere. Gaudebit, inquam Tullius, se didicisse de re sibi incognita tam facile loqui; nam ipse aliquid de tenuissimis pellucidisque quibusdam vaporibus erat garriturus. Modo audiat formam Latinam sermonis nostri, nae ille nihil offendetur nostra novitate *vocabularia*... Mihi vero semper quidam in officio collega «nimis diligens» visus est, qui ubi in suis epistulis nuntiat per *telegraphum* aliquid compertum esse, de «telegraphico nuntio» scribere mavult quam ut respondeat «*telegrammate*» compertum esse hoc vel illud. Cur non etiam *telegraphare* probamus et *telephonare*, quod hodie toto urbe terrarum homines faciunt? Cur colloquia telephonica non sinimus esse *telephonemata*, cum tot in psalmis videamus post editam novam versionem psalmorum «*epiphonemata*»? Neque *radiogrammata* noverunt antiqui neque *radioscopiam* et ultro acceptarent, cum non viderent significantiora verba, etiam istas hybridas nostras suo dignarentur ore. Sunt etiam in iis linguis, in quas hodie Latina lingua producta est, rite derivata vocabula, quae nequaquam inquinant ora pure Latine loquentia».

Et collegae qui in dubium verba *telephonare*, *telegraphare* vocaverat, responsum dabat»:

«Restat *telephonare* et *telegraphare*. Hic in primis constat eam infinitivi modi terminationem quae Graece est «ein», Latine esse «are». Non sane nunc occurrit compositum a veteribus frequentatum, cuius posterior pars sit *-graphare*. Sed dictum fuisse et dici video *citharizare*, *apologare*, *angariare*, *philosophari*, in quibus omnibus Graecum «ein» «are» in ore Latino factum est. Inventa igitur telegraphia si licuit et placuit primogenitae linguae Latinae filiae, quae est Italica lingua, *telegraphare* et *telephonare*, si eadem voco usi Galli *telephonier* et *télégraphier* dicunt sua lingua, quae et ipsa elegans est Latinae filia, si Germani iisdem usi vocibus suo more «*telegraphieren*» dicunt et «*telephonieren*», si vos et vicini vestri Lusitani, ex

quibus meridionalis America et media America Latina appellantur, non alia adhibetis vocabula, debetne choro conclamante sola mater Latina a se reiicere ista vocabula sapienter rei novae adaptata? Non mater, inquam, respuit, sed nos tergiversamur, qui plane linguam vivere Latinam nolimus neque agnoscimus Latinum quicquam nisi idem fossicium sit... ³⁵

Quae tamen Avenarii sententia non omnem eximit de verbis *telephonare, telegraphare* dubitationem, eo quod si declinentur, formae enascuntur aliquatenus sanis auribus Latinis horridulae; similia verba Bacci improbat ³⁶.

His, quae modo sunt allata ac disputata, alia addi possunt vocabula, quae nullo conatu in opere cui index NOVA ET VETERA (Barcnone, 1949) multa reperiuntur. Quae quidem vocabula aut ab ipsa lingua Latina eruta sunt, aut ex communi omnium gentium consuetudine excepta: *displosio, excitatorium* (seu *evigilatorium = horologium*), *pediludium, birota, complanatorium rugarum* seu *derugaculum* («plancha»), *ferrivia*, cet. aut ex hodiernis linguis: *granata, bomba, sclopetum, postalis?, cafeum, alphabetum?, analphabeta?*, cet.; de quibus est in SOCIETATE LATINA et in PALAESTRA LATINA disceptatum.

Neque tamen ignoramus aliam esse loquendi Latine rationem propugnatae atque usitatae a clavis scriptoribus; sed *suis circulationibus rem male gerere videntur*, nam lexica et veterum scriptorum opera non illa suppeditabunt nomina, ut ita dicam, concreta quibus *res illa denotetur ipsa*, quam oculis corporis et mentis intuemur, sed *vagam rerum notionem prodent*, quae multis novis inventis *aeque aptari poterit*, ut recte monet Avenarius ³⁷ cum de *billardario lusu* agit ³⁷.

³⁵ IDEM, *Ibid.*, n. 126, p. 30-31.

³⁶ BACCI, *Varia Latinitatis scripta*: Epistulae I, p. 140.

³⁷ AVENARIUS, cfr. *Pal. Latina*, n. 121, p. 165.

IV. *Quam sibi vindicant viri litterati apud omnes gentes libertatem in novis formandis vocabulis, eandem sibi creditam arbitrentur oportet qui, pertractantes nova rerum inventa, linguae Latinae thesaurum locupletare conantur.*

Si enim linguam Latinam vivam, vivacem, florentem quodam modo appellamus eamque in communem sermonem aptare volumus, nativa opus est instruat vi, quae ex proprio penu multa edat nova — quae novis rebus aptentur — vocabula. Quod si apud alias nationes populo conceditur facultas ut, quae sunt ad communem rerum usum, suo proferat sermone — itemque viris litteratis quae ad litteras — eadem pariter doctis impertienda est facultas ut linguae Latinae thesaurum, novis apte effictis verbis, perpetuo ditent. Si enim illam libertatem, facultatem vimque nativam negamus, nullo prorsus modo effici potest ut lingua Latina sermo in communi hominum eruditorum consortione excultus atque adhibitus evadat. Nam, ut ait Muretus, non id quidem fuit *singulare Ciceronis privilegium*, sed omnium scriptorum Romanorum qui voces novas ad nativam Latinitatis indolem eleganter conformarent ³⁸.

V. *Nova illa vocabula sunt reicienda quae a Romanis scriptoribus alia voce aut locutione reddita sunt,* ³⁹ *nisi perraro voces propositae significantiores et intellectu faciliores penitus sint.*

In eo incumbere debemus ut totam ab antiquis auctoribus tradi-

³⁸ «Etiam si hoc demus, novata esse multa ab iis qui post Ciceronem fuerunt, quid causae est cur ea rejicere debeamus?... Nonne Cicero et multa novavit ipse, et Catonem, Varronem, Brutum aliosque ut idem facerent hortatus est? An fortassis *personale illud privilegium fuit*, ut cum Cicerone et cum iis, «*qui tum vivebant homines atque aevum agitabant*» extinctum esse videatur? *Incomprehensibile* Ciceroni fingere licuit: quid ni aliis alia ad eundem modum postea licuerit? Equidem existimo Ciceronem, si ad Quintiliani et Plinii, et Taciti tempora vitam producere potuisset, et Romanam linguam multis vocibus eleganter conformatis eorum studio auctam et locupletatam vidisset, magnam eis gratiam habiturum, atque illis vocibus cupide usurum fuisse» (MURETUS, *Variarum lectionum lib. XV*, c. I, p. 219-1.^o).

³⁹ Cfr. BACCI, *Latinitas*, II, p. 91.

tam Latinitatem puram retineamus, nova vitantes vocabula quae alia ratione ab illis fuerint prolata; *quin tamen obliviscamur omnibus linguis sensim tempore progrediente nova inseri vocabula aut vetera novata significatione*; quod, ut dictum est, linguae quoque Latinae est tribuendum.

VI. *Voces Latinae sunt quae scriptoribus de suis rebus, artibus, disciplinis agentibus concedantur; quae tamen ab aliis, nisi necessitate vel magna utilitate coactis, parce adhibeantur.*

Suis locis apta erunt verba: *actualis, idea* (homo), *idealis, egoismus*⁴⁰, *socialismus*, multa alia quae *technica* appellantur, quae si circuitione efferantur, rem non definient, sed eam obscuram et vagam efficient praesertim cum hac nostra aetate res minusculis rationibus discriminentur, quae tamen suis vulgaribus nominibus vocari debeant.

Cui rei consulendae lexica parentur oportet propria cujusque disciplinae et artis, e quibus nos vocabula depromamus ad eas res singulares designandas cum sermonem familiari usu conseramus⁴¹.

Ceterum, docti homines, qui in litteris Latinis maxime sunt versati quorumque oratio colore ac nitore Latino praefulget, ampliore gaudent facultate ac libertate in novis vocabulis edendis, quam tamen caute et secundum normas superius traditas adhibebunt. Ceteris vero ne concedatur.

VII. *Praeterea, multa ecclesiastica vocabula immutabilia sunt pluraque sancte retineamus, quin tamen prohibeamur elegantiora in cultiore sermone adhibere.*

Ad rem Muretus: «Tibi, Dari, auctor sum... in primis ut ne eorum stultitiam imiteris, qui usque eo antiquitatis studiosi sunt, ut

⁴⁰ AVENARIUS, «*Pal. Latina*», n. 125, p. 11.

⁴¹ Haec lexica multos abhinc annos ab INSTITUTO ROMANIS STUDIIS PROVEHENDIS maxima diligentia elaborantur; *Per lo studio e l'uso del latino*, 1942, p. 84). Minora quaedam vocabularia in SOCIETATE LATINA et alibi prodierunt.

voces quoque Christianae religionis propriae refugiant, et in earum locum alias substituant, quarum nonnullae etiam impietatem olent: qui non *fidem*, sed *persuasionem*; non *Sacramentum Corporis Domini*, sed *sanctificum crustulum*, non *excommunicare*, sed *diris devovere*... non *baptizare*, sed *abluere* dicunt»...⁴². Quas vero normas sequamur oporteat in verbis christianae religionis usurpandis summa prudentia P. Springhetti exposuit:⁴³

«Verba a christianis novata vel ad novas significationes detorta ex necessitate vel magna utilitate, nonne plerumque bene novata sunt ad leges Latinae linguae...? Retinenda igitur omnino quae bona sunt et necessaria, quae minus vel bona vel necessaria sunt, moderate sumantur in scriptis praeceptivis; quae vero inutiliter ac barbaramente novata et absona sunt ab indole linguae latinae, prorsus relinquuntur, ut emendata et latina maneat oratio; nec sensim corrumpatur ac mutetur. Non pura verba, sed barbara perspicuitati orationis officium».

VIII. *Voces recens effictae ad leges derivandi et componendi in lingua Latina omnino conformari debent, ut tota Latinitas incorrupta permaneat.*

Primum elaboremus in legendis egregiis magistris qui leges constituerunt quibus tota de componendis vocibus stat oratio et disciplina. Attento animo conferantur viri illi qui de ipsa linguae natura in universum pertractant (Vossler, Vendryes...), qui de linguae Latinae natura et constitutione, seu ut aiunt, de linguistica (Meillet, Ernout, Devoto, Pisani...), qui de phonetica (Stolz, Sommer, Niedermann, Juret...), qui de componendis et derivandis vocabulis (Brugmann, Meillet, Vendryes...), quorum hic prodere opera, cum in promptu omnibus sint, operae pretium non esse ducimus⁴⁴.

Praecepta igitur grammaticalia (in quibus componendi ac deri-

⁴² MURETUS, *Variarum lect. lib. XV*, c. 1, p. 219.

⁴³ SPRINGHETTI, *Institutiones stili Latini*, Romae 1954, n. 19-24.

⁴⁴ Cum huius scriptionis extrema exararem, praecipuum Patris Springhetti opus accepi; quo sententias nostras saepe probari intellexi. Cfr. SPRINGHETTI S. I., *Institutiones stili Latini*, n. 45; quo loco leges de componendis ac derivandis vocibus perspicue enucleantur.

vandi leges continentur) *ex Latinitate in primis aurea sint immutabilia*. Quod si hanc normam neglegamus, natura et color Latinae orationis evanescet. Quare voces *machinfocilis*, *osharmanica*, *vapornavis*, similia, —quas quidam novatores ausi sunt prodere—, interdican- tur. Aptius quoque derivandi legibus conformatur *ferrivia* quam *ferrovia* ⁴⁵.

IX. *Voces, quae flexione Latina carent, minus probandae sunt, eaque, si fieri possit, semper ornentur.—Si quando hanc flexionem non admittant, praeponenda est vox aut locutio quae vocabulum a Latinitate alienum ostendat.*

Pro Latinis igitur utere: *conacum* (*aqua vitae conacensis*: «*coñac*»), *stillaticius sacchari sucus* (*rhomium*: «*ron*»), *cerasinum* (*aqua cerasina*: «*Kirsch*»), *liquor curassaviensis* («*curasao*») ⁴⁶, *lac coagulatum* («*yogourt*») ⁴⁷.

Musica, quam vocant jazz, melius musica jassica (jassiaca); ludus hoccaeus (hocceius) ⁴⁸ proposuerat Dr. Lis in *Societate Latina*, quem ludum («*hockey*») alii —ut Dr. Holzer— locutione Latina *bacillorum recurvatorum ludum apellare malunt*.

In nationum vero nominibus, quae duabus conflantur vocibus, rectius ad Latinitatem accedere videbimur si utramque vocem declinemus, etsi quaedam sint quae contra afferantur, ut *Gallograecus*, *Gallohispanus*, *Indo-Scythia* ⁴⁹. Sic lingua *inda-europaea* vel *indo-europaea*, *Hispanus-Americanus* vel *Hispano-Americanus*.

Et sunt scriptores qui non tantum voces communes linguae Latinae aptari volunt sed et ipsa hominum cognomina. Sic si librum Joannis Heineccii, qui «*Fundamenta stili cultioris*» inscribitur (Venetiis, MDCCLXXXI) et Joannis Fr. Noltenii «*Lexicon Latinae linguae antibarbarum*» (Venetiis, MDCCXLIII), perlegeris, multos ibi

⁴⁵ AVENARIUS, cfr. *Pal. Latina*, n. 122, p. 183: *tramen ferroviarium* saepius alibi adhibet *ferriviam*.

⁴⁶ De his vocibus cfr. scriptionem quam in *Pal. Latina*, n. 149, cl. vir J. HOLZER propediem, ineunte a. MCMLV, edet.

⁴⁷ AVENARIUS, *Palaestra Latina*, n. 126, p. 30; videsis etiam LIS, *Societas Latina*, a. VI, p. 18.

⁴⁸ DR. HOLZER antea (*Palaestra Latina*, n. 144, p. 146) ludum «*hockey*» *rhabdosphaeram* latine dixerat.

⁴⁹ FORCELLINI, s. v. *Indus*.

laudatus viros invenies Germanos, Italos, cet., quorum cognomina flexione Latina semper ornantur. Eamque hodie, qui elegantiozem retinent Latinitatem, sententiam insequuntur, nisi quando scriptoris cognomen perspicue significare volunt. Quam rem et scriptorum sententias ponderato iudicio P. Springhetti ⁵⁰ considerat.

X. *Voces quoque hybridae, quae vocantur, quantum fieri potest, ab usu sunt expungendae.*

De quibus Heineccius ⁵¹: «Ceterum quamvis Latini sermonis castitas hujusmodi vocabula vix ferat, quaedam tamen probasse usu animadvertimus, earumque recensum dedit Quintilianus» ⁵². In his *archiducis* titulum et *archimarschallum* enumerat; quae vox *marescalcus*, *mareschallus* ut honoris titulum, minime vero ad quendam militiae magistrum designandum retineri posse videtur ⁵³.

XI. Illud tamen his qui nova produciunt vocabula Latina est considerandum —quod saepe in aliis linguis evenit—, non semper e novata voce alias quoque inde erui posse; sic e substantivo nuper invento fortasse et adverbium facile deducemus, *verbum* non licebit; admittuntur *telegraphium*, *telephonium* *phonographium*, *photographia*, et inde deducimus *telegraphice*, *telephonicus*, *phonographicus*, *photographicus*; sed verba *telegraphare*, *telephonare*, *photographare* sunt qui reiciant ⁵⁴.

XII. Quod genus substantivis e vernaculis linguis desumptis adscribere oporteat, doctis viris est etiam investigandum; utrum *anilina*, *aspirina*, *minutum* (tempus) —ut apud Hispanos— an *anilinum*, *aspirinum*, *minuta* (pars) ut Germani dicunt ⁵⁵.

⁵⁰ SPRINGHETTI, *Institutiones stili Latini*, n. 65-66.

⁵¹ HEINECCIUS, *l. mem.* p. 53-54.

⁵² QUINT., *l. O.* 1, 5.

⁵³ BACCI, *Lexicon*, s. v. Maresciallo.

⁵⁴ Cfr. BACCI, SPRINGHETTI; admittit vero AVENARIUS.

⁵⁵ LAMER, Cfr. *Pal. Latina*, n. 43, p. 129.

C) Ut lingua Latina universalis tandem deveniat

Castitatem sermonis summa ope consecrari debemus quicumque lingua Latina loqui enitimur; omnibusque modis huic rei studeamus oportet ut tandem, omnium collatis viribus, lingua Latina proponatur et usu evadat lingua auxiliaria apud omnes gentes.

Quod ut tandem adipiscamur incremento, evolutioni vitaeque ipsius prospiciamus ut omnium populorum ac temporum inventa in se suscipiat, eaque suis nominibus designet.

Neque minimo contenti simus, ut vetera nimirum producentes verba circumlocutiones saepius adhibeamus, quo sermonem nimis verbosum ac saepe obscurum efficiamus, et, quod deterius sit linguam Latinam quasi vetulam matrem exhibeamus nova quidem facie rerum inventis splendentem, sed veteribus fucatam coloribus deteribusque indutam vestibus... Vigetne Latinitas? ergo et illa continuo novetur ac thesaurum novae Latinitatis compleat abunde ⁵⁶.

Conferant tantae rei operam conatusque omnes viri docti neque operae ac labori parcant ut tandem, quod omnes summo studio desiderant, consequamur.

Disputationes, quae olim in ALMA ROMA, in SOCIETATE LATINA, in PALAESTRA LATINA inter viros linguae Latinae peritissimos consebantur, rursus renoventur et singula novata verba ponderato iudicio expendantur prius quam in lexica omnibus usurpanda inducantur.

Illa tandem constituatur necesse est *societas Latina* quae omnium sententias aequo iudicio consideret, novatorum errores reprimat, suaque sententia proponat usu inducenda vocabula ⁵⁷. Hac tantum

⁵⁶ Conferantur lucubrationes G. Pacitti, quarum index *Il latino «lingua viva»*, in commentario STUDI ROMANI, I, 67, II, 193, III, 317; Cfr. HELMANTICA, V (1954), 275-281 TONDINI, *Communis omnium doctorum sermo Latinus esto Latinitas*, 1954 II, pág. 83.

⁵⁷ Qui in hac re primas habent partes sunt et INSTITUTUM ROMANIS STUDIIS PROVEHENDIS et CONSILIUM LATINITATIS. De hoc «Consilio Latinitatis» constituendo haec JIMENEZ DELGADO, C. M. F. Chnus. Salmanticensis Prof.: «Una

ratione et actione ubique terrarum vicens atque adversa quaeque superans, omnibus apparebit lingua Latina non media in morte quasi diffluens, sed suo vigore ac vita quae olim fuerat multarum linguarum genitrix ac parens ⁵⁸.

JOSE M.^a MIR, PBRO. C. M. F.

Academia de Lengua Latina, con sede en Roma, integrada por representantes de todo el mundo, que se ocupara con autoridad suprema en los problemas que hoy día plantea el uso del latín, sería, junto con la revistas *Latinitas* y el *Certamen Capitolino* [y *Vaticano*], el medio más eficaz para mantener incólumes los intereses de la milenaria lengua del Lacio». Cfr. HELMANTICA III (1952) pp. 485-486.

⁵⁸ In memoriam reducamus quae in commentario PER IO STUDIO E L'USO DEL LATINO (1942, I, II) de Linguae Latinae vita hisce nostris temporibus sunt disputata ac tradita.